

bus effectuat saltem per 40 annos; Rota part. 16, dec. 299, n. 11 et seq. (73. Fama autem probatur ex pluribus enuntiativis; Rota part. 1, dec. 148, n. 1, part. 9, tom. II, dec. 321, n. 35. (74. Ad quem effectum requiruntur plures enuntiativæ supra 100 annos; Rota part. 9, tom. II, dec. 321, n. 36 et 37. Insuper juspatronatus antiquum, in quo sufficiunt probationes per indicia, et conjecturas probatur per testes de fama et communi reputatione deponentes; Rota part. 2, dec. 694, n. 6 et 7. (75. Hoc tamen est intelligendum juncta quasi possessione præsentandi per 40 annos. Rota part. 1, dec. 77, n. 2 et 3. (76. Nec enim probatur ex testibus de sola publica voce et fama deponentibus, nisi adsit quasi possessio. Rota part. 13, tom. II, dec. 781, n. 5. (77. Testes vero ad effectum probandi in antiquis deponere debent de publica voce et fama, quod quis pro vero patrono semper habitus fuerit. Rota part. 9, tom. I, dec. 249, n. 3. (78. Unde deponere debent de visu per annos 40, et de auditu a majoribus, qui pariter ab aliis audiverunt. Rota part. 1, dec. 154, n. 6. (79. Nono, probatur juspatronatus ex inscriptionibus armorum et insignium sculptorum et depictorum in ecclesia; Rota part. 4, tom. II, dec. 471, n. 12, part. 28, tom. II, dec. 503, n. 4 et 5. Et maxime ex insigniis ejusdem familiæ sculptis in ecclesia ab antiquissimo tempore; Rota part. 1, dec. 518, n. 6. Eoque magis insignia probant, quando fuerint posita in limine foundationis; Rota part. 6, dec. 299, n. 5. Vel quando apposita fuerunt de mandato iudicis, quo casu bene probant quasi possessionem jurispatronatus, Rota part. 4, tom. II, dec. 471, n. 11. Barbosa cit. cap. 12, n. 93, cit. sess. 25, cap. 9, n. 20, ubi citat varios doctores et Rotæ decisiones. (80. Imo Rota part. 1, dec. 13, n. 3, vult ad hoc sufficere insignia prædicta, quamvis non appareant valde antiqua, quia præsumuntur per patronos apposita ad conservationem sui juris, sed hoc intellige junctis aliis adminiculis, ut explicat Rota ibid., n. 3 et seq. (81. Et eo fortius probatur tale juspatronatus ex denominatione capellæ talis familiæ, cujus sunt insignia; Rota part. 2, dec. 694, n. 6. Barbosa cit. cap. 12, n. 95, et cit. sess. 25, cap. 9, n. 27, et alii ibi citati.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(82. De probatione jurispatronatus personarum potentum plura eaque utilia habet auctor, sed vide nihilominus Rota in Prænestina Rectoriæ S. Laurentii 4 Decembris 1733, cor. R. P. D. Peralt. inter impress. infol. tom. II, Romæ, 1787, apud Barbiellini, ad Minervam, et in Urbavetana jurispatronatus 21 Aprilis 1749, coram bon. mem. de Vais.

(83. Quoad vero probationem jurispatronatus personarum privatarum, interest scire utrum illud probetur ad omnes effectus, an ad effectus tantummodo honorificos. (84. Mitius enim proceditur posteriori hoc

casu, quam priori illo casu, ac propterea quæ posteriori casu sufficiunt probationes, eæ nullam vim habent priori casu.

(85. Sic enuntiativæ, « insignia gentilitia, onus ornandi et manutenendi capellam, » et alia id genus probant utique juspatronatus ad effectus honorificos duntaxat, non item ad omnes effectus; Rota in Neapolitana capellæ et sepulcri, super bono jure 17 Januarii 1724, coram clar. mem. Calcaagnin. et in Nepesina jurispatronatus capellæ 10 Decemb. 1725, coram bon. mem. Gammaches.

(86. Hac igitur cum distinctione intelligi debet auctor, dum ait probari juspatronatus enuntiativis, insignibus, etc.

ARTICULUS IV.

Juspatronatus, quoad ea quæ concernunt patronos eorumque jura et onera.

SUMMARIUM.

1. Patroni quoad propositum qui dicantur et esse possint, vel non: ad num. 14. — 15. Quomodo fiat successio patronorum in jurepatronatus hæreditario ac gentilitio: ad num. 19. — 20. Patroni an possint aliquid temporale exigere a præsentatis: ad num. 22. — 23. Patroni laici et ecclesiastici quot menses habeant ad præsentandum, et an tale tempus possit prorogari, et a quibus: ad num. 32. — 33. Patroni jurispatronatus mixti quot menses ad præsentandum habere possint: ad num. 38. — 39. Tempus ad præsentandum quando patroniscurrere incipiat: ad num. 43. — 44. Patronus ecclesiasticus semel ac idoneum præsentaverit, non potest pro illa vice alterum præsentare, etiam cumulative. — 45. Patronus laicus potest variare præsentando secundum cumulative. An autem possit semel tantum vel pluries variare, disputant doctores; et assignantur rationes quare variare possit patronus laicus, et non ecclesiasticus: ad num. 58. — 59. Inter varia jura quæ patrono competunt, quatuor præcipue assignantur. — 60. Juri præsentandi, quod patrono competit, an et quando possint papa, legatus pontificius, vel ordinarius derogare: ad num. 69. — 70. Patronus an possit laicum nominare vel præsentare: ad num. 75. — 74. Quid si patronus recusat præsentare quem nominavit fundator? — 75. Patronus an possit seipsum præsentare, aut a procuratore a se deputato præsentari, et an possit acceptare beneficium? ad num. 78. — 79. Patronus potest præsentare filium, aut alium consanguineum, vel conjunctum. — 80. Quid si plures sint patroni? — 81. Patronus sive ecclesiasticus sive laicus, an et ad quæ beneficia teneatur præsentare digniorem: et quid si indignum præsentet? ad num. 91. — 92. Quid quando plures æque digni præsentantur ab eodem patrono laico vel ecclesiastico? ad num. 95. — 94. Quid quando plures inæqualis dignitatis aut meriti simul ab unico vel a pluribus patronis præsentantur? ad num. 98. — 99. Quid, quando patroni litigant inter se super jure patronatus, et litem non finiunt intra tempus a jure statutum ad præsentandum, et nullus ex ipsis est in notoria possessione præsentandi? ad num. 101. — 102. Quid, quando lis est inter patronum et episcopum super existentia jurispatronatus, vel inter patronum et præsentatum, aut inter ipsos præsentatos? ad num. 104. — 105. Jura honorifica patroni ejusque onera, nec non jura ad alimenta assignantur: ad num. 156.

(1. Patroni quoad propositum dicuntur et sunt, qui habent jus seu potestatem a sacris canonibus concessam præsentandi ali-

quem ad Ecclesiam, vel ecclesiasticum beneficium. (2. Sic in re communis. Patroni possunt esse non solum clerici, sed etiam laici, cap. *Decernimus* 32, caus. 16, q. 7, et cap. *Quoniam* 3, et cap. *Cum autem* 24, De jurepatronatus, ibi: « Si laicus fuerit, cui jus competit præsentandi. » Et est communissima, et patens quotidiana experientia. Quamvis enim Laici jurium spiritualium (inter quæ est juspatronatus) non sint capaces; c. *Decernimus* 2 De judiciis; c. *Tua nos* 25. De decimis, cum similibus, tamen hujus jurispatronatus, quod non est quid pure spirituale, sed tantum spirituali annexum, ut dicitur in cit. cap. *De jure* 16, De jurepatronatus, ibi: « Juspatronatus, quod est spirituali annexum, » sunt redditi capaces ex spirituali gratia, permissione, ac tolerantia Ecclesiæ, ut dicitur in cit. cap. *Quoniam* 3, De jurepatronatus ibi: « In qua eos Ecclesiæ hucusque sustinuit, » et jam concesserat in cap. *Decernimus* 32, caus. 16, quæst. 7, ut inde laici magis allicerentur ad fundandas et dotandas ecclesias, et ad erigenda beneficia ecclesiastica, ut recte advertit Hugo in c. *Piæ mentis* 26, caus. 16, qu. 7. Goffred. in cap. *Sacrosanta*, De election. Glossa in Clement. final. post med. vers. *Et fuit forte motivum*, De rescriptis. Fagnan. in cit. cap. *Quoniam* 3, De jurepatronatus, n. 6. Abbas ibidem n. 2, et alii passim.

(3. Patroni esse possunt non solum mares, sed etiam feminæ; arg. cap. *Cum dilecta* 16. De concession. præbent., et cap. *Ex litteris* 7. De jurepatronatus, et docet communis doctorum, et praxis universalis.

(4. Patroni esse possunt non solum puberes, sed etiam impuberes; arg. cap. *Piæ mentis* 26, cap. *Frigentius* 27, cap. *Quoniam* 30, cap. *Filiis* 31, c. *Decernimus* 32, et cap. *Monasterium* 33, caus. 16, q. 7, ubi cuivis fideli fundanti, ædificanti, vel dotanti ecclesiam, et hæredibus ejus conceditur juspatronatus, nec ibid. nec alibi excipiuntur impuberes, et sic tenent doctores communiter. (5. Est tamen hic advertendum quod, quamvis impuberes ante septennium possint acquirere juspatronatus et esse patroni, defectu tamen usus rationis nequeunt pro tali tempore præsentare, sed nomine ipsorum debent præsentare tutores: Garcias De Beneficiis, part. 5, cap. 9, n. 193. Azorius par. 2, lib. vi, cap. 21, quæst. 14. Pirhing lib. iii Decretal., tit. 38, n. 18. Reiffenst. ibid., n. 38. Lambertinus, et alii. (6. Si autem impuberes sint majores septennio, possunt ipsi præsentare etiam sine tutorum suorum auctoritate, quia impuberes septennio majores, præsumuntur habere usum rationis. Unde, sicuti eo tempore valide contrahunt sponsalia, ita etiam valide præsentant; Rota dec. 6, De jurepatronatus in antiq. Pirhing loc. cit., n. 18. Reiffenst. loc. cit., n. 39. Garcias loco cit. n. 186 et seqq. Castropal. p. 2, tract. 5, disp. 2, n. 40. Azorius loco cit. Rebuff. De nomination. quæst. 17, n. 40, et alii com-

muniter, qui tamen omnes docent valde decens et æquum esse ut impuberes præsentent auctoritate et assensu tutorum suorum. (7. Hinc quamvis tutores absolute præsentare possint, etiamsi pupilli impuberes sint majores septennio, eo quod tutores habeant potestatem, nedum in personam, sed etiam in bona pupillorum: arg. c. *Si annum* 3, De judiciis, in 6; tamen si tales pupilli ante institutionem contradicant, et alios præsentent idoneos, isti sunt præferendi præsentatis a tutoribus, etiam dignioribus, quia cum tales pupilli sint præditi usu rationis, et sint patroni jurispatronatus, ad illos pertinet præsentatio; arg. cap. *Decernimus* 32, caus. 16, qu. 7. Sic doctores numero antecedenti citati, et teste Garcia l. c., n. 186, et alii communiter.

(8. Si autem patroni sint puberes, quamvis minores 25 annis, tunc non possunt præsentare curatores, et si absque mandato aut expresso consensu præsentent, eorum præsentatio est invalida, quia curatores non dantur minoribus quoad ecclesiastica et spiritualia; et ipsi minores, seu puberes, vel majores quatuordecim annis, in beneficiis et aliis causis spiritualibus et dependentibus ab eisdem, nullatenus dependent a curatoribus, textu expresso in cit. cap. *Si annum quartum decimum* 3, De judiciis in 6. Garcias l. c., n. 195 et 196. Pirhing l. c. sub n. 18. Reiffenst. l. c., n. 41. Castropal. l. c., n. 21, et alii passim.

(9. Sic etiam, si filiusfamilias sit patronus, præsentatio spectat ad ipsum, et non ad patrem, quia, in spiritualibus et quasi spiritualibus seu dependentibus ab eisdem, non dependet filius a patre nec illi subicitur, textu claro in cit. cap. *Si autem quartum decimum* 3, De judiciis, in 6. Garcias loc. cit., n. 198. Pirhing loc. cit. sub n. 18. Reiffenstuel loc. cit., 41 et 42, et alii. (10. Id tamen limitatur in jurepatronatus quod competit filio ratione bonorum adventitiorum, quia, cum usufructus talium bonorum spectet ad patrem, ex l. *Cum oportet*, cod. de bonis, quæ liberis, ad ipsum patrem spectare debet etiam juspatronatus talibus bonis inseparabiliter annexum; Garcias loc. cit., par. 5, cap. 9, n. 206. Castropal. loc., cit. n. 22. Reiffenstuel loc. cit., n. 42, et alii. Juspatronatus enim transit cum re in illum qui eam cum dominio directo vel saltem utili acquirit, ut arg. c. *Ex litteris* 7, De jurepatronatus, et cap. *Cum Bertholdus* 18, De sententia et re judicata, ut tenet ex communi Fagnan. in cit. cap. *Ex litteris*, n. 15. Vide adducta supra art. 2, n. 16 et 61.

(11. Patroni esse possunt non solum legitime nati, sed etiam spurii, vel alii illegitimi; arg. cap. *Piæ mentis* 26, cap. *Frigentius* 27, cap. *Quicumque* 30, cap. *Filiis* 31, c. *Decernimus* 32, et c. *Monasterium* 33, caus. 16, quæst. 7, in quibus generatim cuicumque Christiano fundanti, exstruenti, vel dotanti ecclesiam, et hæredibus ejus conceditur juspatronatus, nec ibi, nec alibi excipiuntur illegitimi; tum quia, cum spurii et illegitimi sint capaces hæreditatis

vel legati relictis ab extraneo, possunt una cum hæreditate vel legato acquirere etiam juspatronatus ei inseparabiliter annexum, uti pariter si spurii et illegitimi doneatur vel vendatur res aliqua cui annexum sit inseparabiliter juspatronatus, ad ipsos transit etiam juspatronatus una cum re eis vendita vel donata; quia juspatronatus transit cum rerum universitate, seu cum aliqua speciali re cui sit inseparabiliter annexum per jura et fundamenta adducta supra art. 2, n. 6, 23, 39, 40, 47, 53, 58, 61 et seq.

(12. Patroni esse non possunt Judæi, pagani et infideles, quamvis ecclesiam fundaverint, extruxerint vel dotaverint, seu castrum aut villam emerint cui annexum sit juspatronatus, quia propter id jura citata numero antecedenti dicunt acquiri quidem juspatronatus, sed a solis Christianis et fidelibus. Unde Judæi, pagani et infideles sunt omnino exclusi. Sic communis doctorum cum Fagnan. in cap. *Nobis* 25, De jurepatron., n. 7. Abbat. ibid., n. 3. Joan. Andr. ibid., n. 3. Pirhing l. c., n. 20. Reiffenstuel l. c., n. 43, arg. cit. juribus.

(13. Patroni esse non possunt neque hæretici, quia, cum hæretici sint extra ecclesiam, non potest eis competere juspatronatus, quod est ecclesiasticum; arg. cap. *Didimus* 31, caus. 24, quæst. 1. Tum quia omnia bona hæreticorum ipso jure sunt confiscata; cap. *Cum secundum* 19, De hæreticis, in 6, adeoque etiam juspatronatus eis annexum; cap. *Accessorium* 42, De regul. juris in 6, ibi: « Accessorium naturam sequi congruit principalis » et faciunt dicta supra art. 2, num. 19, 20, 21. (14. Excommunicati tolerati et non vitandi possunt esse patroni. Potest enim episcopus consentire quod tales excommunicati fundent, ædificent aut dotent ecclesiam, et sic juspatronatus acquirant, quamvis exercitium et usum ipsius nequeant habere ante absolutionem. Joan. Andr. in cap. *Nobis* 25, De jurepatronat., num. 3. Pirhing, loc. cit., num. 21. Fagnan. in cit. cap. *Nobis*, num. 12 et 13, ubi dicit quod excommunicatus acquirat juspatronatus habitu tantum sed non actu ante absolutionem, et citat plures alios; tum quia excommunicati non amittunt juspatronatus quod ante excommunicationem habebant, sed privantur solum ipsius usu et exercitio, donec fuerint absoluti, Pirhing loc. cit., n. 21. Azorius par. 2, lib. vi, cap. 1, q. 9, et alii passim.

(15. Successio patronorum in jurepatronatus hæreditario seu mixto fit in stirpes, et non in capita, unde plures hæredes unius patroni defuncti, pro uno tantum simul patrono reputantur, et unam tantum vocent habent; sic ad dirimendas contrarias doctorum opiniones fuit expresse statutum in Clem. *Plures* 2, De jurepatronatus. Et sic hodie tenet communis cum Rota recent. par. 4, tom II, decis. 47, n. 9, par. 7, dec. 72, n. 21, part. 13, decis. 103, n. 2, et dec. 272, n. 1, par. 17, dec. 99, n. 8. et sæpe alibi. (16. Hinc filii seu descendentes admittuntur in stirpes,

et non in capita. Rota par. 4, tom. I, dec. 77, n. 1, par. 7, dec. 275, n. 3, par. 11, dec. 268, n. 3. (16. Et sic stirpes attendi debent in præsentatione jurispatronatus, et non numerus personarum, ita quod plures ab uno descendentes procedant in stirpes, non autem in capita, et unius loco reputentur; Rota par. 4, tom. I, dec. 657, n. 3, et cit. Clementina *Plures*. (17. Et idem procedit in jurepatronatus hæreditario ad plures lineas spectante, in quo præsentatio fieri debet in stirpes, et non in capita. Rota par. 18, tom. II, dec. 424, n. 1. Ita ut in jurepatronatus tribus personis relicto, quælibet ex ipsis suam constituat lineam et vocem. Rota ibidem n. 3. Et descendentes ab una tantam partem habeant, quantam descendentes ab alia; Rota, ibid., n. 4.

(18. Successio patronorum in jurepatronatus gentilitio seu familiari fit in capita, et non in stirpes; Rota part. 4, tom. II, dec. 47, n. 2, par. 5, tom. I, decis. 284, n. 10, par. 7, dec. 280, n. 4. (19. Et sic descendentes jure sanguinis succedunt in capita, et non in stirpes; Rota p. 2, dec. 251, n. 5, p. 13, dec. 103, n. 3. Et omnes tenentur præsentare in capita; Rota part. 10, dec. 83, n. 21.

(20. Patroni a præsentatis nihil possunt exigere temporale, nisi quod in ipsa fundatione constat fuisse impositum; cap. *Sicut* 2, De supplenda negligentia prælator., et cap. *Præterea* 23, De jurepatronatus. (21. Præsentatio est simoniaca, quando aliquid datur vel promittitur pro habendis vocibus seu præsentationibus patronorum; arg. cap. *Veniens* 19, De simonia, ubi Abbas, et Decius in not. 5. Roch. de Curte De jurepatronat., verb. *Et utile*, quæst. 3, n. 9. Lambertin. in simili tractatu lib. II, par. 1, qu. 9 art. 8. Navarr. in Manual., cap. 23, n. 100, vers. *Nam cum quis*; Barbos. lib. III, Juris eccles. univ., cap. 12, n. 202. Rota in Comensi Cappellæ 11 Mart. 1595, et in Romana jurispatronatus 29 Januarii 1601, coram card. Millino. (22. Quamvis id fiat etiam ipso præsentato ignorante; c. Si alicujus 59, De electione, c. *Nobis* 27, De simonia; Rota dec. 285, n. 3, p. 1, divers. et in d. Comensi Cappellæ, Barbosa loc. cit., n. 202, et alii passim.

(23. Patroni laici habent solum quatuor menses ad præsentandum; cap. *Quoniam* 3, et capit. *Cum propter* 27, De jurepatron., et cap. *Si Laicus*, unic. De jurepatron., in 6, § Verum, ubi sic præcise dicitur: « Verum licet patronus laicus ad præsentandum tempus habeat quadrimestre duntaxat: » et in ejus sumario: « Laicus quadrimestre tempus habet ad præsentandum. » Et sic communis cum Rota part. 9, tom. I, decis. 19, n. 13, et eadem part. 9, tom. II, dec. 446, n. 16, p. 12, dec. 25, n. 4, et sæpe alibi. (24. Quo quidem quadrimestris tempore elapso, patronorum auctoritas exspirat, ita ut post illud non possint amplius præsentare, cum tunc collatio devolvatur ad superiorem; arg. c. *Eam te decet* 22, et cap. *Cum propter* 27, De jurepatronat.,

cap. *Licet* 3, De supplenda negligent. prælat., et cap. *Nulla* 2, De concessione præbendæ; Rota part. 2, recent. dec. 10, n. 7, et sæpe alibi. (25. Non præjudicat tamen dictum quadrimestre pupillo, quin eidem ob non petitam in tempore dispensationem competat restitutio in integrum; Rota par. 13, rec. dec. 290, n. 14.

(26. Patroni autem ecclesiastici de jure habent semestre ad præsentandum; cap. *Eam te decet* 22, De jurepatronat., et cit. cap. *Si Laicus*, unic. § Verum, De jurepatronat., in 6, ibi: « Ecclesia tamen, (vel monasterium, cui facta est a laico juris collatio patronatus) tempus habet semestre: » et in ejus sumario sic præcise dicitur: « Ecclesia vero (habet) semestre, licet a laico acquisiverit juspatronatus. » (27. Tali semestri elapso patronorum ecclesiasticorum auctoritas exspirat, ita ut post illud non possint amplius præsentare, sed pro ea vice collatio devolvatur gradatim ad superiorem, id est de capitulo ad episcopum, de episcopo ad metropolitanum, de metropolitano ad nuntium, de nuntio ad papam; cap. *Licet* 3, De supplend. negligentia prælator., et c. *Nulla* 1, De concessione præbendæ, et Rota par. 2, recent. decis. 186, n. 1, part. 18, tom. I, dec. 180, n. 3. (28. Et quilibet eorum habet sex menses ad conferendum a tempore scientiæ; Rota in Spoletana Beneficiorum 31 Januarii 1694, coram Mantica, inter ejus impressa, decis. 260, et par. 18, tom. I, recentior. decis. 180, n. 3. (29. Quamvis devolutio esset facta a laico patrono, qui tantum habet quadrimestre; Garcias De Beneficiis, p. 10, c. 3, n. 9. Rota dec. 6, De jurepatronatus in novis, et in Sabinen. Beneficii 11 Maii 1584, coram Gyptio, et in Salamantina Portionis 13 Junii 1585, coram Ubaldo.

(30. Potest tamen episcopus et respective metropolitanus et nuntius, elapso tempore, patronis, et respective aliis ad quos jus fuerit devolutum, gratiam facere, et tempus ad præsentandum seu respective conferendum prorogare; Rota par. 17, recent. dec. 13, n. 2. Lambertin. De jurepatron., lib. II, cap. 9, n. 33. Castropalao part. 2, tract. 13, disp. 2, punct. 5, n. 8. Riccius in praxi resolut. 195. Barbosa part. 3 De offic. et potest. episcopi, allegat. 72, n. 143 et 170, et alii; arg. Sicut nobis 2, De supplenda negligentia prælator., ponderando ibi verbum *Licet*, quod ponit causam in voluntate illius, cui licet. (31. Cum hac tamen advertentia quod episcopus et respective metropolitanus et nuntius non potest prorogare tempus ultra sex menses; arg. c. *Nulla* 2, De concessione præbendæ, ubi ipsis in casu devolutionis conceduntur solum sex menses ad conferendum, ibi: « Infra sex menses personis quæ digne administrare valeant, conferantur quia, ut recte censuit Rota loc. cit., n. 3 et 4, et hoc solum facere potest in præjudicium sui ipsius, non autem in præjudicium alterius superioris, Castropalao loc. cit., Reiffenstuel lib. III Decretal., tit. 38, n. 56, et alii (32. Quamvis autem possit episcopus

et respective metropolitanus et nuntius supradictum tempus prorogare, ipsum tamen non potest abbreviare: Vivian. in praxi jurispatronat., part. 2, lib. VII, capit. 7. Castropalao loc. cit., punct. 5, n. 8. Barbosa loc. cit., num. 143. Alphonsus de Leone quæst. 4, praxi 5, n. 87, ubi citat Rotam in Salamantina Beneficii 4 Februarii 1630, coram Ghislerio, in qua fuit expresse resolutum, ordinarium non posse restringere neque abbreviare tempus patronis concessum a jure ad præsentandum, quia indultum a jure beneficium non potest per judicem tolli, cap. *Indultum* 71, De regul. juris in 6, ibi: « Indultum a jure beneficium non est alicui auferendum. »

(33. Patroni jurispatronatus mixti possunt omnes præsentare intra semestre; Rota part. 19, recent. t. I, dec. 129, n. 3, et decis. 298, n. 1, 4 et seqq., cum communi doctorum. (34. Tale enim juspatronatus mixtum gaudet privilegio jurispatronatus ecclesiastici ad effectum præsentandi intra semestre; Rota part. 12, dec. 250, n. 13, et part. 13, decis. 376, n. 4 et 5. (35. Etiam si minor pars sit clericorum; Rota part. 11, decis. 250, n. 13 et 14. (36. Ita tamen ut patroni, uti laici, intra quadrimestre ad præsentandum ante episcopi institutionem possint variare; Rota ibid., n. 19. (37. Quin amittant tanquam clerici semestre ad præsentandum; Rota ibidem, n. 20 et 21. (38. Quia in jurepatronatus mixto semper attenditur qualitas favorabilior patronis; Rota ibid., n. 22 et 23.

(39. Tempus ad præsentandum non currit patronis, nisi a die scientiæ seu habitæ notitiæ vacationis; arg. cap. *Quia diversitatem* 5, De concessione præbendæ, ibi: « Semestre autem tempus non a tempore vacationis præbendarum, sed notitiæ ipsius potius volumus computari. » Et sic communis cum Garcia, De beneficiis, part. 10, cap. 2, num. 34. Barbosa loc. cit., num. 134, et Rota par. 2, rec. dec. 10, n. 7, decis. 173, num. 1, et dec. 406, num. 1. (40. Et quidem dictum tempus currit solum a die scientiæ veræ et certæ, nec sufficit dubia; Rota par. 5, tom. I, dec. 15, num. 12. Ita ut probatio scientiæ debeat esse vera et concludens, nec præsumptiva sufficiat; Rota par. 2, dec. 173, n. 1. Barbosa loc. cit., num. 35 et 36, cum pluribus aliis ibi citatis; arg. cap. *Præsumitur* 46, De reg. juris, in 6, ibi: « Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur. » (41. Nisi ignorantia vacationis sit inverisimilis, quo casu tempus currit a die ipsius vacationis; Rota part. 3, decis. 377, num. 3. Præsumitur autem ignorantia potius quam scientia, si beneficiatus decesserit extra locum beneficii, et habitationis patronorum; Rota par. 3, dec. 21, num. 1. (42. Similiter non currit tempus patrono legitime impedito aut absenti, ut si patronus sit absens reipublicæ causa, vel injuste carceratus, vel si non haberet tutum accessum propter perhorrentiam alicujus inimici; tempus enim non currit legitime impedito, arg. cit. cap. *Quia diversitatem* 5, De concessione præbendæ;

in cuius summario sic expresse dicitur: « Semestre ad eligendum seu conferendum a jure præfixum non currit legitime impedito, » et cap. *Ne pro defectu*, De election., ibi: « Justo impedimento cessante, » Rebuffus De Patron. poss., n. 304. Barbosa cit., alleg. 72, n. 138, et lib. III juris ecclesiastic. univers., c. 12, n. 170, et communis aliorum. (43. Præsentatio intra prædictum tempus datum a jure potest fieri a patronis quocunque die, etiam feriato, et etiam paschali, cum sit quid extra judiciale, et sapiat spiritualitatem. Communis cum Barbosa cit. allegat. 72, num. 144 et seq.

(44. Patronus ecclesiasticus semel ac aliquem idoneum præsentavit, non potest amplius variare, seu pro illa vice alium præsentare, etiam cumulative; quod tamen si fecerit, debet episcopus primo præsentatum instituere, textu claro in cap. *Quod autem* 5, cap. *Cum autem* 24, et cap. *Pastoralis* 29. De jurepatronatus; Rota par. 13, recent. dec. 14, num. 18, par. 17, dec. 250, num. 15. Fagnan. in cit. cap. *Cum autem* 24, De jurepatronatus, num. 15, ubi expresse dicit quod patronus ecclesiasticus non potest variare præsentando alium etiam cumulative, et sic tenent etiam alii communiter. (45. Patronus autem laicus potest variare præsentando secundum cumulative, non tamen privative et exclusive hoc est, potest uni præsentato alium adhuc adjungere, et episcopo, quem instituere velit, relinquere. Non vero potest primum penitus excludere, arg. cit. c. *Cum autem* 34, de jurepatronatus, ubi, cum relinquatur arbitrio episcopi quis ex duobus a patrono laico successive præsentatis instituatur, aperte declaratur primam præsentationem non fuisse revocatam, alioquin episcopus non posset primum præsentatum instituere. Et sic in cit. cap. *Cum autem*, tenent Joan. Andr., n. 6. Abbas, n. 2. Ancharanus, n. 3. Barbosa, n. 2. Fagnan., n. 6, ubi ex Lambertino testatur sic tenere communem canonistarum et legistarum. Et sic Rota par. 9, tom. I, dec. 235, n. 5, par. 14, dec. 431, n. 5, et sæpe alibi.

(46. Ipse tamen patronus laicus potest semel tantum variare, arg. cit. cap. *Quod autem* 5, cap. *Cum autem* 24, cap. *Cum dilectus* 28, et cap. *Pastoralis* 29, De jurepatron. ubi tum textus, tum summaria loquuntur tantum deduobus successive, et non de pluribus. Et sic tenet Rota par. 13, recent. dec. 14, sub. n. 18, et dec. 178, n. 4, par. 14, dec. 262, n. 5. Fagnan. in cit. cap. *Cum autem* 24, De jurepatron., n. 8, et efficaciter probat Calderin. Cons. 16. An laicus, tit. De jurepatronat., Garcias De benefic., par. 5, cap. 9, n. 214. Roch. de Curte De jurepatronat., quæst. 10, verb. *Honorificum*; Lambertin. De jurepatronat., lib. II, par. 2, quæst. 7, art. 23. Navarr. in cap. *Placuit* De poenitent., dist. 6, n. 167 et seq. et pluribus aliis citatis, Barbosa par. 3, De offic. et potest. episc. cit. allegat. 72, num. 161, ubi citat etiam Rotam in Compostellana Parochialis 20 Febr. 1630, cor. Merlino.

(47. Sunt autem multi qui tenent posso-

patronum laicum intra quadrimestre cumulative variare non solum semel, sed bis, ter, quater, et quoties voluerit. Sic Glossa in Clementin. *Plures* 2, De jurepatron., verb. *Præsentare*; Abbas in cap. *Quanto*, De judic., et ibi etiam Decius, Castropalao par. 2, tract. 13, disp. 2, punct. 6, n. 3. Azorius par. 2, lib. VI, c. 2. Perez de Lara, De annivers., lib. II, c. 9, n. 8. Navarr. in suis Sign. canonic., concl. 112, n. 3. Alphonsus de Leone, quæst. 4, prax. 5, num. 98, et probabilis Reiffers. lib. III, Decret., tit. 38, sub num. 58, arg. cit. cap. *Quod autem* 5, cap. *Cum autem* 24, et cap. *Pastoralis* 29. Et ratio istorum est, quia talis cumulativa variatio non est odiosa, sed favorabilis Ecclesiæ, quia quanto plures ei præsentantur, pinguorem habet facultatem eligendi, et acquirendi digniorem rectorem. Unde ad id quod in contrarium adducitur, quod variatio sit restringenda, utpote odiosa, dicunt esse quidem odiosam variationem exclusivam, non autem cumulativam, quæ potius est favorabilis. Et licet in citatis juriibus tum textus tum summaria loquantur tantum de duobus successive, per hoc tamen non excluditur tertius, quartus, quintus, etc., cum dicta jura loquantur tantum de duobus, ex quo solum de duobus se obtulit casus, qui si de pluribus se obtulisset, de pluribus etiam dicta jura locuta fuissent.

(48. Conveniunt tamen communiter doctores utriusque sententiæ quod patronus laicus, sicut potest duos cumulative præsentare successivis temporibus, ita potest præsentare plures simul unico contextu, dummodo id agat etiam cumulative, eo modo ut episcopus alterum eligat et admittat. Rota par. 16, dec. 240, n. 10. Fagnan. in cit. cap. *Cum autem* 24, De jurepatron., n. 5, et alii passim, arg. cap. Clementin. *Plures* 2, De jurepatronat., § final. (49. Item conveniunt satis communiter doctores quod, si patronus laicus prima vel secunda vice fecit præsentationem nullam, veluti si præsentavit coram non habente potestatem instituendi, possit intra quadrimestre tertium præsentare, quia tunc, sicuti patronus, potest præsentare sic secundum ex toto, recedendo a primo: arg. c. *Cum laicis* 10, De jurepatronat., per quem textum ita tenet ex Abbate, et aliis Fagnan. in cit. cap. *Cum autem*, n. 10 et 24, eodem modo potest præsentare tertium. Prima enim præsentatio, cum sit nulla, non computatur in numero præsentationum, et sic non impedit quin secunda præsentatio sit prima, et tertius cumulative præsentatus sit secundus, quia, ut expresse dicitur in cap. *Non præstat* 52, De regul. juris in 6. « Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum: » adeoque patronus laicus, qui sic nulliter præsentavit prima vel secunda vice, poterit intra quadrimestre tertium, qui erit secundus, præsentare. Fagnan. cum aliis in cit. c. *Cum autem*, n. 9 et 11. Reiffers. l. c., n. 59. Rota part. 12, recent. dec. 154, n. 15. (50. Idem dicendum venit, si patronus prima vel secunda vice

ignoranter præsentavit inhabilem seu indignum. Fagnan. in cit. cap. *Cum autem*, n. 12, cum Joann. Andr. et Cardinal. in cap. *Cum vos* 4, De officio ordinar. In tali enim casu patronus est sine culpa, sine qua nemo est privandus jure suo, cap. *Sine culpa* 23, De regul. juris in 6, ibi: « Sine culpa (nisi subsit causa) non est aliquis puniendus. »

(51. Non potest tamen patronus, lite pendente, nec etiam cumulando variare. Rota part. 5, recent. tom. I, dec. 607, num. 4.

(52. Nec ea durante inter duos præsentatos, alium tertium præsentare sine vitio attentati. Rota part. 2, dec. 504, n. 2. Barbosa cit. allegat. 72, n. 162, ubi citat plures alios, et adducit etiam decisionem Rotæ.

(53. Minus vero, lite pendente super titulo beneficii inter provisum apostolicum, et præsentatum, iterum alium præsentare potest. Rota part. 2, dec. 206, n. 8. Ita ut, neque possit cumulando præsentare colligantem. Rota ibidem. (54. Prout neque in locum mortui alium præsentare potest. Rota part. 3, dec. 336, sub n. 3, Barbosa loc. cit., cum aliis.

(55. Ratio autem quare ex supra dictis patronus laicus variare possit, et non ecclesiasticus, multiplex a doctoribus assignatur. Prima, et verior, est quia præsentatio ecclesiasticorum vim habet electionis, in qua electione non cadit variatio, cum statim electo acquiratur jus in re; cap. *Publicato* 58, De electione, ibi: « Publicato scrutinio variare nequeunt electores » et ibi, Glossa verb. *Variare*. Non sic autem præsentatio laicorum, quia præsentatus ab istis acquirit tantum jus ad rem. Unde sicut non tenet secunda electio, prima non cassata, cap. *Consideravimus* 10, et cap. *Auditis* 29, De election., ita nec secunda præsentatio ecclesiasticorum, Joan. Andreas in cap. *Cum autem* 24, De jurepatronat., n. 7. Butrius ibid., n. 9. Abbas ibid., n. 7. Ancharan. ibid., n. 5. Innocent., ibidem in fine, Fagnan. ibid., n. 19, Gonzal. Ad regul. 8, Cancel. gloss. 15, § 2, n. 1, Barbosa cit. alleg. 72, n. 154, ubi citat Rotam, et plures alios doctores. (56. Secunda ratio potest esse, quia clerici facilius et melius possunt invenire et cognoscere clericos idoneos quam laici, qui, cum sint extra clericalem militiam, possunt titubare, Lambertin. De jurepatronat., lib. II, p. 3, quæst. 7, artic. 2. Barbosa loc. cit., n. 155, et alii. (57. Tertia ratio potest esse, quia clerici patroni pinguius jus habent, quam laici, ut dicit Glossa in cit. c. *Cum autem* 24, De jurepat., verb. *Persona*, id est ex præsentatione clerici plus juris tribuitur præsentato, quam ex præsentatione laici, ut explicat cardinal. num. 4, vers. Quæro quæ est ratio, cum. Fagnan. loc. c., n. 15, firmiter enim debet esse verbum ecclesiasticorum, quam laicorum, cap. *Inter corporalia et spiritualia* 2, De translation. episcop., et Clement. *Cum illusio unic.*, De renuntiation., ibi: « Cum illusio et variatio in personis ecclesiasticis maxime sint vitandæ. » Imo pactio, sive locutio, vel dictum

etiam cujuscunque firmiter est, si agatur in foro ecclesiæ, ut notatur in cap. *Antignus* 1, et capit. *Qualiter* 3, De pactis; Fagnan. loc. cit., n. 16, et alii. (58. Quarta ratio potest esse, quia laici habent tantum quadrimestre ad præsentandum, ecclesiastici vero semestre; unde æquum videtur, ut qui gravantur in uno, releventur in alio; l. Eum qui, ff. De jurejur. l. Jure succursum 6, ff. De jure dotium: et sic, cum patroni laici graventur in hoc quod tantum habeant quadrimestre, releventur in alio, id est in hoc quod possint variare. Barbosa cit. allegat. 72, n. 155, Reiffers. lib. III Decretal., tit. 38, n. 57, et alii.

(59. Inter varia jura quæ patrono ratione juspatronatus competunt, quatuor præcipue assignantur in cap., *Nobis* 23, De jurepatron., et a Glossa ibid., in fine, enumerantur in sequentibus duobus versiculis.

Patrono debetur honor, onus, utilitasque.
Præsentet, præsit, defendat, alatur egenus.

(60. Patrono ita competit jus præsentandi, ut, si clericum habilem et idoneum præsentet, episcopus vel alius ad quem spectat institutio, eum admittere, et in beneficio instituere teneatur; cap. *Significasti* 18, De jurepatron., cum similibus, et communis doctorum. (61. Dummodo tamen præsentet in tempore a jure statuto, quod est quadrimestre pro patrono laico, ex dictis supra n. 23, et semestre pro patrono ecclesiastico, ex adductis n. 26. (62. Nisi a fundatore in fundatione cum consensu episcopi fuerit tale tempus prolongatum vel abbreviatum, uti posse sic prolongare et abbreviare cum episcopi consensu, et episcopum non posse ipsum consensum denegare, aliter superior suppleret, docet Lambertin. De jurepatronat., part. 2, lib. I, quæst. princip. 28, art. 7. Ventriglia tom. II, De jurepatronat., annot. 1, § 3, n. 33, et communis aliorum. Cum fundator beneficii possit in limine fundationis cum consensu episcopi apponere conditiones et pacta sibi benevisa, etiamsi juri communi sint contraria, et episcopus teneatur illa admittere, alias superior suppleret, ut docet, et testatur de communi Monacell. part. 1, tit. 2, formul. 1, n. 7, et seq. et tenet Rota part. 1, recent. dec. 530, n. 2, cardin. de Luca, De jurepatronat., disc. 15, sub n. 6, disc. 20, n. 16, disc. 68, n. 8, De benefic., disc. 33, n. 6, disc. 95, n. 8.

(63. Hinc, sine consensu patroni in tempore a jure vel fundatore statuto habilem præsentantis, episcopus alteri conferre non potest beneficium juspatronatus; et si, ipso patrono contradicente, conferatur ab episcopo, collatio est irritanda, et facienda ad præcisam præsentationem ipsius patroni, cap. *Decernimus* 32, caus. 16, quæst. 7, ibi: « Quod si spretis eisdem fundatoribus rectoribus ibidem præsumperit episcopus ordinare, et ordinationem suam irritam noverit esse, et ad verecundiam suam alios in eorum loco, quos iidem ipsi fundatores con-